Kowalewski Samuelis: Mnemosynon Joachimo Speronio dicatum.

# MNEMOSYNON

*PERILLVSTRI CLARISSIMO ET ADMODVM REVERENDO DOMINO,*

# D. M. IOACHIMO SPERONIO.

S. Th. D. & Professori, Collegij Maioris Seniori Patri, Ecclesiarum Collegiatarum Cracouiæ, OMNIVM SS. PRÆPOSITO, Ad S. FLORIANVM DECANO, Cancellario Posnanieñ: & Contubernij Iagelloniani Vigilantissimo Prouisori, &c. &c. &c.

PAROCHO NEOKORCINENSI.

*DVM*

Sub Felicissimis Auspicijs,

## M. FRANCISCI ROLINSKI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, & Professoris, Consulis & Studij Vniuersitatis Crac:

GENERALIS RECTORIS,

longè Vigilantissimi.

PRO LOCO.

Inter S. Th. DOCTORES, in Celeberrima Vniuersitate Crac: obtinendo disputaret.

*A*

*M. SAMVELE KOWALEWSKI, Philosophiæ Doctore & Professore,*

DICATVM.

Anno Domini, M. DC. L. VIII. Mense Aprilis, Die 15.

*CRACOVIÆ, Apud Viduam & Hæredes Stanislai Bertutowicz, A. 1658.*

AD Tuam solennem Doctoratus Pompam, mea quoq; pertenuis properauit Musa, PERILLVSTRIS CLARISSIME ET ADMODVM REVERENDE DOMINE. Non enim decuit nec licuit, inter tot faustas acclamantium voces, inter hos gestientium animorum applausus, inter serenos omnium gratulantium vultus mutam & elinguem esse. Et licet tantæ solennitatis splendor, & insolitæ Maiestatis fulgor, tenellam meam SVADAM initio dictionis abripiat, & satiùs silere, quam præcipiti ac tumultuario verborum impetu aliquid attentare suadeat: tamen quoniam virtute Duce, ac Comite labore, ad tam celsum honoris fastigium euectus es: nulla permittet ratione tantus honor, ipsaq; loci amplitudo Tuarum Virtutum laborumq; constantiam obliuione sepeliri. Nam quoad longissimè mens mea respicere potest, spatium præteriti temporis, & memoriam Tuorum laborum recordari supremam, simul atq; in florentissimum hortum Academicum insertus & implantatus es: Te adeò Virtuti & labori consecratum esse volueras; vt in Tuo pectore Virtus atq; Labor sibi sedem & domicilium fixisse locasseq; viderentur. Et sanè breui postliminio exitus acta comprobauit: vbi primùm Scholarum Nouoduorscianarum, Maiorum Tuorum authoritate Dialectices Professor inauguratus, in tanta discipulorum frequentiâ, magno cum profectu Iuuentutis ACADEMICÆ, cum laude & dignitate Tua, munia Scholæ illius obieris; ibi quas molestias, quas curas sustinueris, ac deinceps quot pulueres Scholasticos & quam diu exhauseris: Iuuentus Polona vidit, ACADEMIA approbauit. At verò cum dicendi copia verborum & sententiarum grauitate, tum in enodandis difficultatibus perspicuitate multum valeas; magnum istud PERILLVSTRIS CLARISSIME ET ADMODVM REVERENDE DOMINE. Te circa Tuas illas nocturnas diuturnasq; lucubrationes, quas sæpè sæpiùs literis consignasti, tot labores, curas, vigilias, subijsse magnum; maius illud cursum Philosophicum, liberalitatis dexterâ VLADISLAVIANÆ fundatum. ter pro Tua & totius ACADEMIÆ dignitate Studio & operâ peruigili perfecisse: ter quoq; munere & officio DECANATVS functum esse gloriosè. Quid dicam toto vitæ tempore, in statione Academicâ ita constantem ac laboriosum perstitisse; vt ne latum quidem pedem ab exedra quam conscenderas licuerit Tibi discessisse. Cæterùm quidquid laboris, quidquid vigiliarum, inter scribendum, legendumq;, docendumq; toto vitæ Tuæ curriculo, in sparta ACADEMICA susceperis; quis non modo dignè prædicare; verumetiam numerando percensere valeat? Age verò, vt ab humanis ad Diuina progrediar; dum Te in vastissimo sacrarum literarum Oceano exspatiari conspicio, THEOLOGVM, Sacrâ literaturâ profundum atq; ratione docendi ita perspicuum; vt cum reconditiora Diuinorum mysteriorum arcanâ, sagaciùs perscrutaris, eaq; animis discentium vberiùs instillas: magnos illos nostræ ætatis THEOLOGOS Vadouios scilicet & Opatouios referre videâre. Quid referram illud, quod hîc inter tumultus cruentæ Bellonæ, Martis furentis æstuantes fluctus; dum hostilis illa barbaraq; tempestas, longè lateq; per Vniuersam grassaretur Poloniam: Exterorum ingressus fines, quò magis pacatam & tranquillam degens vitam Studijs etiam tum Diuinarum literarum vacares, ita in dies fermè totos D. THOMÆ THEOLOGIAM præ oculis habueris, vt eam intenti operâ & diligentiâ euolueris. Quamobrem cum promeritorum Tuorum in ACADEMIAM, tanta sit laus & gloria; vt quouis loco & tempore, Tibi honori & Altrici ingeniorum ACADEMIÆ singulari ornamento esse volueris; meritò quodam iure, hunc tam sublimem honoris gradum, in SACRA THEOLOGIA Tibi gratulor, Apollinemq; meum, licet stylo non benè excultum ad occinendum Tibi suaue melos apprecandumq; ad perennem vitæ Tuæ Scenam, quæuis fausta & felicia in medium euoco. Quem Tu grato animo serenoq; vultu, vt acceptes, meq; Tuum Clientem Tibi omni genere officiorum deuinctum complectaris gratiâ, humillimè postulo.

MNEMO-

# MNEMOSYNON.

O PHœbe DOCTIS Sydus amabile
SPERONIANI Gloria nominis,
In Vrbe laudis quem beaſti,
Laurifero meritum decore.

Quirina cernens quem Sapientia,
Effuſa plenos lætitiæ ſinus,
Laxauit ac Pæana lætum
SARMATICO cecinit Lyceo.

Adeſto Fautor, Proſper in omine,
Turba & Sororum, fauſta precantium,
Cui Lares ad iam paternos,
Romuleum recinas Honorem.

Adeſt; Stoâ quod conſpicuum videt,
Omni beatum munere Palladis;
Venire LECHICO Trione,
Vertice pro meritum Tiaram.

Virtute magnum, moribus & grauem,
Pium probatâ cum Sapientia,
Fortemq́ue iuſtum, candidumq́ue,
Magnanimum ſtabilem modeſtum.

Qualem furor nunquam, inſtabilis Deæ,
Aduerſa nec ſors deprimit: & licet
Iam fractus illabatur Orbis,
Impauidum feriunt ruinæ.

Quid plura ſpectes? plurima Gratiæ
Cornu fauentes diuite Copiæ,
Dedêre, quæ ſuum decerent,
Corporis atq́ue animi nitorem.

Iam ſiſte (dicit) primus in agmine
DOCTOR Sacrato; Lumen amabile,
Præclare SPERONI, Thronumq́ue,
Pollicitum capito labori.

Aſcende ſummam fauſtus in exedram
SENATVI Te, Teque ACADEMIÆ
Oſtende, diſpenſaque LECHIS
THEOLOGI pia dona Phœbi.
En ipſe Phœbus dulcè ſonantibus
Chordis adauget, congeminatium
Plauſus Amicorum ſolennes
In Tua Feſta nouanda DOCTOR.
Mox Diuus alto CANTIVS æthere,
Beatitatis ſubſidium pluit;
DOCTORq; DOCTORI fauet iam;
Melliflua loquiturque Suadâ.
Supreme DOCTOR litera ſic Sacra
Oris videndum Romuleis iubar,
Te fecit, vt Tuis regreſſus
Splendidior fieres Camænis.
Hinc ampliùs non nominis immemor
DOCTOR Paterni, Sacra leges Tuis
Lymphaſque ſanæ propinabis
Saluificas IOACHIME menti.
Muſis amicus, triſtitiam procul
Fugabis, & cum lætior intimâ
Fauebis applaudendo Parte,
Idque pium melos adſonabis!
Viuas in annos munificus Pyli,
Viuas egenis ô columen Viris,
PATRONE Muſarumque Fautor,
Tergemino memorandus æuo.